


4

IOANNIS BOCHII  
VRBI ANTVERPIENSI A SECRETIS,  
Epigrammata Funebria.

AD  
CHRISTOPHORI PLANTINI  
Architypographi Regij Manes.

Cum nonnullis aliorum eiusdem argumenti Elogiis.



ANTVERPIÆ,  
IN OFFICINA PLANTINIANA,  
APVD VIDVAM, ET IOANNEM MORETVM.  
CIO. IO. XC.



AMPLISSIMIS, CLARISSIMIS,  
PRUDENTISSIMISQ. EDVARDO VANDER  
DILFT, ET CAROLO MALINEO CONSS.  
CÆTERISQVE VRBIS ANTVERPIENSIS  
SENATORIBVS, S. P.



V NEBRIA EPIGRAMMATA,  
Senatores amplissimi, à doctissimo  
Bochio vestro partim conscripta,  
nobisque tradita, reddere vobis,  
ceu depositum quoddam, operæ  
precium fore putauimus: vt qua  
ille benevolentia Ch̄ristophori Plantini, ciuis ve  
stri, ac Typographi verè Regij, memoriam profe  
quutus est, eadem nos obseruantia hoc illi apud  
vos μημόνων statuamus. Neque sanè hoc argumen  
tum displiciturum vobis confidimus; si modò pla  
cebit meminisse, quantam Plantinianum Typo  
grapheon huic vrbi per vniuersum orbem terra  
rum celebritatem attulerit, quantoque Rempub.  
vestram & ornamento & commodo eius in hac ar  
te conatus affecerint. Quod quidem Amplitud<sup>um</sup>  
vestrarum patrocinio magna ex parte effectum  
esse non diffitemur: cùm Typographicis illius la  
boribus fautores vos semper præbuistis æquissi  
mos. Atque hoc illud est quod post eius ex hac vi  
ta discessum, Plantiniani vos rogant hæredes, vt  
quo illi, dum vixit, iñ conquirendis incredibili  
LABORE ET CONSTANTIA rebus ad excuden  
di perfectionem necessariis, studio gratiaque ad  
fuerint,

fueritis, eandem eius successores liberalitatem vestrarum experiantur & æquitatem : Ita ut cum prælis, cæteroque eius artis apparatu & voluminibus, benignitas vestra & humanitas, velut iure quodam hæreditario ad illos continuata transmittatur. Quamobrem, vt eodem illos modo in fidem vestrarum, clientelamque recipiatis, rogatos vos cupiunt, quām possunt officiosissimè, studia sua omnia & obsequia, Senatores præstantissimi, vobis deferentes. Valete. Antuerpiæ, ex Officina Plantiniana, Kal. Iulij, M. D. XC.

**Amplitud<sup>um</sup> vestrarum**

**Humillimus cliens**

**Ioannes Moretus.**

**A D**

**A**

A D  
CHRISTOPHORI PLANTINI  
ARCHITYPGRAPHI REGII MANES,  
PARI CVM MVSIS NVMERO  
FVNEBRIA EPIGRAMMATA,

*Auctore*

IOANNE BOCHIO, vrbi Antuerpiensi à Secretis.

**N**E mea flebilibus Plantinum, Elegia, querelis,  
Funera ne lacrymis perge, Thalia, sequi.  
I.  
Detinet innumeros iamdudum hac nenia vates,  
Et resonant Claria nil nisi triste lyra.  
Plantinum queritur Phœbic chorus omnis ademptum,  
Cecropiaq; gemunt, Ron. uleaq; Dea.  
Ipse pater solitum Latonius ore serenum  
Exuit, & mæstos dant sua plectra sonos.  
Defletusq; satis fidibus, mea Musa, remissis  
Est rogus, & lacryma proficiente nihil.  
Si modo quid possent luctus, melioribus effet  
Christophorus vita redditus ingenii.  
[Quamquam, ô!] sed prohibent surdi ad suspiria manes,  
Carmina Lethaum tangere nostra vadum.  
Nos tamen inferias absent i demus amico,  
Nec cineri pietas officiosa vacet.  
Spiritus Elysium colit, optatosq; recessus,  
Muta sub hoc tumulo sed tegit ossa lapis.  
Nomen in orbe manet, nec honos intercidet umquam,  
Nec labor aeterna posteritatis opus:

Dum suus ingenii viuet calor, & sua libris  
Pagina, dum scriptis charta notata suis.

Labore  
III.

Amphitryoniada miratur fama labores,  
Et purgata suis secula prodigiis.  
Sudores, Plantine, tuos miremur, & istud  
Robur, & artifici monstra necata manu.  
Centauros domat ille? tuis sed viribus ingens  
Errorum antiquis turba fugata libris.

Pugna Cleonao nec qua spectata Molorcho  
Tanta, nec Alcida tam ferus hostis erat:  
Quam tibi cum scriptis auctorum saepe vetustis  
Dura, vel inuidia indice, lucta fuit.

Et te Manilio certantem vidimus apro,  
Orcus, & Inachij te timet hydra lacus.

Nam tu dum vitiis corrupta volumina truncas,  
Et Latia, & lingua consulis Argolicæ:  
Verus es hoc nostro Tirynthius alter in auro;  
Ille Jouis, sed tu Palladis auspiciiis.

Constantia  
III.

Quisquis es, in cunctis operam tibi rebus inanem  
Sumis, & in vana luditur arte labor:  
Ni casus animum firmes constanter ad omnes,  
Duret, & in finem continuetur opus.  
Propositiq; virum constantia firma tenacem  
Quarit, & assidua sedulitate grauem.  
Talis erat nostri Plantinus gloria sacri:  
Cur ita? librorum copia testis erit.

Hospes

Hospes, Idumæam tumulo frondescere palmam

III.

Cernis, honoratis serra parata comis.

Adspicis aduersa reliquum quòd compleat orbem

Parte, Venafranis edita bacca iugis.

Non alia decuit Plantinum fronde corona;

Si satis ad laudes vlla corona suas.

Seu labor hoc meruit, desudataq; palestra,

Editaq; innumeris scripta voluminibus:

Seu Pandionis cui maxima cura Minerua,

Palladis ornatum fructibus esse decet.

Utq; reluctatur, depressaq; brachia tollit

Palma, nec aduerso pondere nutat onus:

Sic moles operum contrà stetit. Inde, viator,

Plantino dupli fronde corona viret.

Quòd sua Castalias non deserit vnda sorores;

v.

Ripa nec Aoniis arida facta vadis:

Quòd sibi fatidici quarunt Peneia Vates

Serta, nec ignauo pollice sordet ebur:

Hoc castigatos edens, Plantine, poëtas,

Hoc tua sudoris prodiga dextra facit.

Quòd fora, quòd duras orator flectere mentes,

Confessumq; sua voce mouere queat:

Jura quòd ambiguos dirimant consulta clientes,

Absoluat trepidos quòd bona causa reos:

Hoc libris, Plantine, tuis seu dulcibus haustum,

Fontibus, acceptum sacula nostra ferunt.

Magnaq; magnarum quòd commentaria rerum,

Gestorumque fides vera supersit, & hoc.

Et

Et tua Pœonias celebrantur præla per artes,  
Et cali, & varij sideris adde vices.  
Accedunt titulis sanctorum oracula vatuum,  
Et quodcumque sacræ pagina legis habet.  
Quid superest? totum conatibus excusat orbem,  
Vis uno dicam nomine? Christophorus.

VI. Ita procul reliqui commercia vilia libri,  
Catera Plantino cedite præla meo.  
Ita libri, cunctaq; simul sordescite chartæ,  
Quæ non hæc prima nomina fronte gerant:  
Christophorus toto Plantinus cognitus orbe,  
Excudit propriis hoc opus ille typis.  
At reliquum tineas librorum vulgus inertes  
Pascat, & ignauo torpeat omne situ.  
Aut piper, aut emptos Panchai thuris odores  
Charta ministeriis vilibus apta tegat.  
Ut quoties librum manibus tractabimus ullum,  
Nil nisi Plantinum pagina docta sonet.

VII. Sacra Palatini si quis penetralia Phæbi  
Diruta, cum libris interiisse dolet:  
Aut veterum quæ Sylla ferox monimenta virorum,  
Fertur Erechthais diripuisse locis:  
Damna quidem sacris queritur data magna Camœnis,  
Deflendam studiis ingeniisq; vicem;  
At sciat auspiciis nostro melioribus euo  
Consultum antiquis esse voluminibus.

Vt si

Ut si vel solum Plantinum prisca tulissent,  
Sacula, librorum copia magna foret;  
Uberiorq; seges discendi plurima, qua nunc  
Temporis aeterna condita nube latent.

Sine pedis dedit aut floris tibi planta virentis

viii.

Nomen, habes verum conueniensq; satis.

Scilicet humani planta ceu corporis ima

Nititur, & stabili machina fulta pede:

Sic moles operum tantorum innixa recumbit

Te, Plantine, humeris sufficiente tuis.

Qualis & aurora riguis blanditur in hortis

Planta, cui viridi stipite vernat apex:

Postruhi confecto languescit flosculus auro,

Ingemit exitio mœsta Napaa suo:

Sic tuus arridet Musis labor, & decus omne

Ereptum illacrymant te moriente suum.

Nec sperant animosa tua vestigia plantæ,

Posse pari quemquam sedulitate sequi.

Et quod lanificæ plantam secuere puella,

Tempore qua nullo sit rediuiua, dolent.

Saluete, ô, cineres, lacrymis madefacta sororum

ix.

Vrna nouem, salue, triste ministerium.

Sed dabis, Musa, tumulo producat ut isto

Plantam rore sacro gleba rigata nouam.

Vester ut officium vestrum post funera cultor

Sentiat, & meritus busta sequatur honos.

Carmen

*Carmen e<sup>g</sup> in viuo supremum inscribite saxo,  
Plantinum hoc donent munere Pierides:  
Hoc iacet in tumulo Musarum cura, Viator,  
Certa sub incerto nomine signa vides.  
Sed tua mens totum meditando perambulet orbem,  
Querat e<sup>g</sup> Aonij cura, quis ille? chori.  
Inuenies nostri cultorem numinis unum,  
Quem colimus simili nos pietate virum.  
Ille est, ille gregis nostri decus, alter Apollo,  
Nomine Plantinum Christophorumq<sup>s</sup>, vocant.*



ALCIDÆ

**A**LCIDÆ inuicto, & comiti quæ gloria Theseo  
Inuitâ æternum viuere morte dedit,  
Hanc ego nec Plantine tuis iam laudibus æquæ,  
Et titulis impar alter & alter habent;  
Hic Scin in immitem quamuis, sæcumque Procrusten,  
Et Labyrinthæ presserit ora bouis,  
Illi Aper, & terror Nemees, & cesserit Hydra,  
Diraque fatali monstra subacta manu.  
Illa quidem sint vera, vni dum cognita terræ,  
Solus & hanc Graius senserit orbis opem.  
At tua quæ gentes, quæ nescit nomina tellus,  
Dum meritis imples Solis vtramque domum?  
Tu Latij veteris, tu scripta insignia Graiūm  
Asseris, & melius ire per ora iubes.  
Hebræūmque tibi debent oracula vatum,  
Atque apices, visi nullius arte, Syri.  
Nec tibi par ausit quisquam, aut sperare secundum,  
Pace tua Latium, Gallia pace tua.  
Ipsa quoque, est artis quæ conscia prima repertæ,  
Laudibus assurgit Teutonis ora tuis.  
Macte animo bone, macte fide, & constante labore,  
Te magis atque magis fama loquetur anus.

*Joh. Liuineius, Belga, amico,  
& bene merito fac.*

B

IOAN-

EST IOANNI MORETO SVO.

 Vis mi nunc gemitus comprimat, aut modum  
Imponat lacrymis? accine lugubre

Carmen, Musa, viros, qua modulis tuis,

Dignos laude, vetas mori.

PLANTINUM ergo tenet perpetuus sopor?

Plantinum? aſiduus iuncta laboribus,

Quem constantia eō nobilis extulit,

Vix ut sit similem dari.

Cunctis ille quidem fletus oblit ſenex,

Sed tu præcipue flere Morete aues;

Incaſſum tetricas poſcis at o bone

Plantinum aſiduò Deas.

Non, Amphionios ſi recinas Modos,

In vitam reuoces, quos ſemel inuidas

Mors nobis rapuit. ſtant adamantinis

Vinclis fata coercita.

Sic quando eſt igitur; quod ſupererſt age,

Dic condens cineres elogio breui;

PLANTINVS IACET HIC ARCHITYPGRAPHVS,

Hoc ſat: catena nota ſunt.

Ius laude coronat.

N. OVD.

IVRE

C E. V. M I C H A E L I S A I T S I N G E R I  
A V S T R I A C I

**V**RE tibi laudes canerem Plantine perennes,  
Ni tibi Scriptorum clangeret ore tuba.  
Scriptorum typica vitam quibus arte dedisti;  
Quos tua ab interitu vindicat ære manus.  
Muti qui fuerant, per te modo ritè loquuntur  
Innumeri; & cunctis redditæ lingua sua est.  
His tua fama viget, seros celebranda per annos,  
Viuit & in variis inclyta codicibus.

*Aliud eiusdem.*

**M**ARMORIBVS parcant nati, properansque viator  
Ne petat, ossa quibus delituere locis.  
Plura tribus linguis mihi stant monimenta per orbem;  
Nulla caret tumulo Bibliotheca meo.  
Hæc mihi certa manent; & postera fama leuatur.  
Sic viuat, memores quisquis amat titulos.

I N C H R I S T . P L A N T I N I S Y M B O L U M .

Omnia quando potest LABOR ET CONSTANTIA, Christo  
Auspice, constanti fata labore domo.

**H**Oc tibi constituo vacuum, PLANTINE, sepulchrum  
Ad gelidas Nicri lene fluentis aquas,  
Dulcis amicitia monumentum ac pignus amoris,  
Quem non ulla umquam tempora dissoluent.  
Hoc tua promeruit virtus, doctrina, fidesq;  
Integra, & Eois cognita & Hesperius.  
Hoc longa exhausti meruere atate labores  
In diuulgandis chalcographa arte libris:  
Quâ te non aliis vixit præstantior usquam:  
Pace loquor Stephani, pace, UUechele, tua.  
Nunc est parta quies capitiq;, animoq; beato,  
Quâ nitet aeterno lumine pura dies.  
Ter, quater ô felix, cui nomen honosq; perennis  
Contigit, & calum patria post obitum!

Ioan. Posthius, Aulæ Palat.

Elect. Medicus I. m. p.

**P**LANTINI cineres in hoc sepulchro  
Conduntur, celebris viri, per orbem  
Cujus fama volat vel universum.

Nam sic ille fuit peritus artis,  
Ut nullum dederit parem, nec ætas  
Huic sit posterior parem datura.  
De cunctis bene confitentur omnes  
Ipsum promeruisse, sed tamen de  
Doctis præcipue; quibus labores  
Suscepti sine fine serviebant.  
Ergo quisquis opem per ejus artes  
Percepisti, animæ precare vitam  
Æternam: cineri simul quietem.

*Lambertus Schenck.*

*Dusitv.*

**S**ISTITE ploratus, lachrymas, planciusque, Poëtae:  
Plantinus felix vivit apud Superos.  
Non illum (ut quondam) febris, non tuphis anhela,  
Colicus aut dolor, aut calculus vrget atrox.  
Defunctus morbis, senio, cura, atque LABORE,  
CONSTANTI tandem perfruitur requie.

*C. Kilianus Duff.*

CHRISTIANUS DUFFUS  
BONÆ

# BONÆ MEMORIÆ.



VANTVM VIS; Plantine, nouum decus addite calo,  
Inmensum latè tua peruolet inclyta mundum  
Gloria cum sola mundi peritura ruina;  
Gloria, quam nulla amplifcent præconia laudum,  
Nec male periura minuant conuicia lingue;  
Hac tibi parua tamen, magnum ut testetur amorem,  
Ponit auo monimenta nepos. tu, si super vlla  
  
Iam positum meliore loco te cura tuorum  
Tangit, & in superis haud infera neglegis arua;  
Accipe & hos versus, nec inania despice dona.  
Illa quidem luctus inter composta recentes,  
Ab meritis indigna tuis! sed quis, precor, umquam  
Plantini meritum modulamine carminis aequet?  
Quis tantum ingenij confidat viribus audax,  
Qui se Plantini landes comprehendere versu  
Posse putet, vastus quas vix complectitur orbis?  
Æacidæ seclis qui fortia facta futuris  
Scriberet, & longo celebranda nepotibus aeo  
Traderet, unus erat vates virtutis Homerus,  
Heroum preco celebris, vox orbis Homerus.  
Nos non Æacidem hic (seu quisquam strenuus armis  
Fors fuit, aut nomen vanum est & fabula tantum)  
Non hic Æacidem proponimus arte canendum  
Mæonia. maioris enim præclarior heros  
{ Flagitat auxilium calami: si quis tamen eius  
Posset par calamus reperiri inlustribus actis.  
Non poterit. non huc pertingunt carmina vatum.  
Qui dignos actis Plantini offerret honores,  
Ipse unus Plantinus erat. qui semina iecit,  
Qui fouit; fotam produxit ad æthera plantam  
Ille idem, cunctisq; dedit splendescere terris.  
Ille Typographia magnum dedit ornamentum:  
Magnum ornamentum cultori reddidit illa  
Grata suo. Sat eum Constantia juncta Labori  
Cuncta virūm fecit passim volitare per ora;  
Laudesq; euexit supra, conuicia supra.  
At verò in primis ex illo tempore, postquam  
PLANTINVM, a VRORÆ LVCE apparente, CALENDA  
QVINCILLIES terris rapvere, poLoq; ve dederunt. §

CHRISTOPHORO PLANTINO

REGIO ET REGI TYPOGRAPHO,

FRANCISCVS RAPHELENGIVS

A VO OPTIMO POS.

D. O. M.

CHRISTOPHORO PLANTINO  
GALLO, CIVI ANTVERPIANO,  
ARCHITYPOGRAPHO REGIO,

CVIVS OPERA ET INDVSTRIA ERVDITI  
CVIVSCVMQVE DISCIPLINÆ AG LINGVÆ  
VETERES NOVIQVE SCRIPTORES IN  
LVCEM ELEGANTER EDITI, MAGNVM  
EO AVCTORE TOTI REIPVB. LITERARIÆ  
SPLENDOREM ET UTILITATEM ADTVLERVNT,  
STVDIOSI BONARVM ARTIVM TANTI  
BENEFICII MERITI QVE MEMORES,  
VIRO VIRTUTE CLARA PRÆDITO POSVERVNT.  
VIXIT ANNOS LXXV. OBIIT KALENDIS  
QVINCTILIB. HORA III. A. M.  
ANNO CI<sup>o</sup>. IC<sup>o</sup>. XXCIX.

Epigrammata hæc & Elogia nihil continent  
quo minus imprimi possint,

*Ita testor Michaël Hetsroey Bruegelius,  
S. Theologiae Licentiatus, B. Mariae  
Antuerpiensis Canonicus.*

M. O. D.

# CHRISTIANITY PLANTED ON EARTH

CAIUS CLODIUS ANTERPANO;

ARCHITECTURAL REGIO

COVIAZ OFFERA ET INDUSTRIA ERAGIT

CAISGAWAE DISCIPLINE AG TINAGAE

VETERE NOVAE SCRIPTORIE IN

ЛІСІВНИЧИЙ СІДЛЯЧИЙ ПОСТОДОБІН

STABDIOSI BONARUM ARTIUM TATI

ЕВНІТІСІЛІМЕРГІАВЕМЕНОЯЗ

do so same following point

வினாக்கள் முதல் பாடம் விடை மா

10. *Constitutive elements of the state*